



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. In quibus Casibus in specie Clerici coram Judice seculari conveniri non possint, & in quibus possint?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

munis poena confiscationis imponatur, tum illi fisco omnia bona mobilia confiscata cedunt, in quocunque territorio sita sint, & bona immobilia in hoc territorio sita, ubi sententia condemnans lata fuit: quæ autem in alieno territorio bona immobilia sita sunt, illius territorii fisco cedent, si confiscandi bona jus habeat Dominus, si autem ex speciali tantum certi territorii statuto confiscatio poenalis fiat, locum illa non habebit circa bona extra territorium confiscantis sita, etiam si utriusque territorii idem Princeps sit, ut ne fiat odiorum extensio, sed tantum ad bona in tali territorio sita, ut statutum tale viget, extendi potest. Vide de his Civilibus plura apud Auct. Meth. l. cit.

## SECTIO III.

## De foro competente Clericorum.

## §. I.

Quis sit iudex competens Clericorum?

Quod conveniri possint Clerici non exempli coram suo Episcopo, qui Iudex Ecclesiasticus ordinarius est totius Diocesis, si ve à Laico si ve Clerico conveniantur, in causis tam civilibus quam criminalibus, certissimi juris est *Can. Si quis 45. & can. Si Clericus 46. causa 11. q. 1. & c. 1. h. t.* nisi cum consensu proprii Episcopi apud alium Ecclesiasticum Iudicem partes agere velint, aut speciale aliquod Privilegium vel recepta consuetudo, vel ipsæ etiam leges aliis etiam Eccle-

siasticis jurisdictionem in quosdam Clericos tribuant *c. Cum contingat 13. h. t. & c. Cum Ecclesiarum 3. de Iudi. ord. junct. Gloss. verbo Ecclesiastica sententia*: Quo in casu, si exempli tales Clerici aut Prælati non sint à jurisdictione Episcopi, penes Actorem optio erit, Clericum talem vel coram suo Episcopo, aut coram inferiore immediato Prælato jurisdictionem in illum habente, convenire; & Prælati talis inferior, si territorium proprium non habeat, in personas suæ jurisdictioni subiectas, potest eam exercere in quovis Diocesis illius loco, ne frustra sit illius jurisdictio, quæ personas tantum certas respicit, & non certum locum inter Diocesium illam situm, Episcopus tamen extra suam Diocesium jurisdictionem contentiosam exercere non potest, nec in ordine ad suos subditos, cum hujus jurisdictio certum etiam locum respiciat, nisi vel ex consensu loci illius v. g. Diocesis Episcopi vel ex sua Diocesi expulsus beneficio seu privilegio *Clementina unica h. t.* uti velit.

## §. II.

In quibus casibus in specie Clerici coram Iudice seculari conveniri non possint, & in quibus possint?

In genere quidem certum est, quod nullus Iudex secularis per se condemnare possit, vel judicare personas Ecclesiasticas, si ve Clericos, *c. Nullus 2. h. t.* nullâ consuetudine, quamvis immemorialis illa sit, quidquam juvante, etiam si liquida partes contra eos instrumenta producta fuissent, ita ut sola executio faciendâ esset, *c. Saculares 2. h. t. in 6.* ita

Hh 3

ut

ut excommunicationem ipso facto incurrat, qui contrarium agit, & hinc conveniri non possunt Clerici & aliæ personæ ecclesiasticæ coram seculari iudice, non tantum in actionibus personalibus, sed neque in causis sive actionibus realibus, (quidquid sit de contraria alicubi recepta praxi quoad actiones reales) *argu. o. si Clericus 5. h. r. & e. fin. De iudiciis*, cum res in territorio secularis Iudicis sita forum illi non tribuat, si persona per speciale privilegium omnino exempta sit, neque hæres Clericus, qui in bona Laici successit, conveniri potest ex sententia probabiliore ratione horum bonorum coram seculari iudice, etiam si coram Iudice Laico contra defunctum Laicum lis jam fuisset inchoata, neque enim per præventionem Iudicis Laici perditur privilegium fori Clericis concessi, cum hoc nullo jure probetur; neque conveniri potest Clericus coram Laico Iudice in causa communi Clerico cum Laico, aut pluribus Laicis propter consortium, sed contra potius fieri debet, ut Laicus coram ecclesiastico Iudice in causa tali cum Clerico communi conveniatur, (quia magis dignum trahit ad se minus dignum) si tamen causa dividi non possit; si enim dividua esset, quisque coram suo Iudice conveniri deberet. Neque denique conveniri potest Clericus coram Iudice Laico, etiam si tantum in possessio agatur, non quidem fortasse propter qualitatem causæ, sed propter qualitatem personæ.

Sunt tamen plures etiam casus, in quibus Clerici coram iudice Laico conveniri possunt. Et primò quidem in causis feudalibus *c. Verum 7. h. r.* Secundò

in casu, quo bona immobilia Clericis vel Ecclesiis donata aut data sunt, cum tali pacto seu conditione, ut sub eodem foro maneant, sub quo prius existerent, quæ conditio, utpote justa, si ab Ecclesia donatio vel datio talis acceptatur, servanda est, prout Principes Imperii Ecclesiastici ratione suorum Privilegiorum & Regalium, quæ ab Imperio habent, Imperio subiecti sunt. Tertio si agatur contra Laicum ad evincendum ab ipso rem quam emit à Clerico, & Clericus venditor ad defendendum emptorem ei assistere velit, coram Iudice seculari, ipsius scilicet emptoris, comparere debet. Et quartò sicuti Laicus ratione administrationis Ecclesiasticæ non minus quam debet coram Iudice Ecclesiastico officii sui rationes reddere, ita Clericus etiam ratione officii, si alieno nomine conveniatur, Tutor v. g. ratione pupilli Curator ratione minoris &c. coram Iudice seculari respondere potest.

## §. III.

*Quinam in specie gaudent privilegio fori Ecclesiastici?*

NON tantum Clerici in sacris constituti privilegio fori Ecclesiastici gaudent, sed etiam Clerici in minoribus constituti, vel si tantum tonsurâ initiati, si observent ea quæ à Trident. Sess. 23. c. 6. de refor. his præscribuntur, ut scilicet vel beneficium Ecclesiasticum (latè accipiendi nomen beneficii, prout etiam pensionem significat) habeant, vel si beneficium non habeant saltem Clericalem habitum & tonsuram deferant, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel certè habitum & tonsuram deferant.